

Vindiciae Propertianae.

De Properti carminibus quaedam non ex carminum ordine disputaturus exordium a locis nonnullis sumam quorum non tam verba tradita emendasse mihi videar quam explicationem tralaticiam. augebo scilicet locorum numerum quos Vahlenus nuper utili et iucunda disputatione, quam catalogo lectionum hac aestate Berolini habendarum praemisit, eo consilio tractavit, ut poetarum verba recte distincta haud parvam utilitatem in re grammatica habere ostenderet¹. quod probe sciebant Lachmannus Bekkerus Hauptius, recentiorum haud pauci improbe nesciunt, quorum editiones si lapidaria scriptura uterentur, multo magis placerent. Vahlenus e Plauto potissimum exempla elegit; in Propertio permulta quaerentibus praestitit, cum hac quoque in re cultum Hauptii libellum cultiorem redderet: conferant quos talia pensitare iuvat e. g. III 22, 4 sq. IV (III) 18, 7 sq. V (IV) 7, 62 sq. nihil mutavit in versibus multum vexatis I 19, 13

¹ Improbatur Vahlenus (p. 4) quod in Senecae Troadum fabula post v. 1124 distinctionem posui. hoc ideo factum est, ne spectantes litus tantum implere viderentur, non clivum theatri more crescentem. certe cum hominum coetus theatri more crescere dicitur, idem de colle quem occupant dictum sentimus: augeri sic, non deminui videtur narrationis pulchritudo. — Occasione utor ad indicanda ea (et perpauca sunt) quae in Senecae tragoediis aliter nunc quam in editione mea factum est constituenda esse intellexi. atque primum quidem in tragoediae primae initio quod edidimus (v. 20) *Thebana tellus sparsa nurbus impiis*, talem versum Plautus et Terentius frequenter, Seneca nusquam admisit. recte A: *nurbus sparsa tellus*. — Herc. Oet. 684 (*tenuit placidas Daedalus oras*) recordari debui quae Lachmannus profert ad Prop. I 21, 21. — ib. 1381 scribendum erat *redeunt minax ferrem ruinas*. — Ex Birtii disputatione (Mus. Rh. XXXIV p. 509—560) nihil discere potui.

illic formosae veniant chorus heroinae,
 quas dedit Argivis Dardana praeda viris;
 15 quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
 gratior, et Tellus hoc ita iusta sinat.
 quamvis te longae remorentur fata senectae,
 cara tamen lacrimis ossa futura meis.
 quae tu viva mea possis sentire favilla!

20 tum mihi non ullo mors sit amara loco.

v. 16 Propertius Tellurem, quae 'terris gentes omnes peperit et resumit denuo', precatur ut se Cynthiam heroinis praeferre patiat. tenerrimum votum Lachmannus dicit; in quo tamen id sententiae carminis valde obesse videtur, quod inferis arbitrium de amore suo tribuit poeta qui modo Protesilai exemplo docuerit, amore ne umbras quidem vacare posse. secuntur versus optimi quidem, sed quos non Batavorum tantum faciliora ingenia, sed Lachmannus quoque coniectando temptaverit: nulla alia de causa puto, quam quod sententiarum vinculum, ut par erat, desideravit. adfirmat scilicet poeta, etiamsi multos annos in terris moratura sit, caram tamen Cynthiam fore lacrimis suis, id est lacrimanti sibi donec adventura sit. non veretur ne senectutem puella attingat, sed pro amoris sui magnitudine optat ut attingat. hoc nunc non magis quam voti priore versu prolata ratio apparet carminis lectoribus, apparebit utrumque si ita haec distinguemus:

119/15 quarum nulla tua fuerit mihi, Cynthia, forma
 gratior et (Tellus hoc ita iusta sinat!)
 quamvis te longae remorentur fata senectae,
 cara tamen lacrimis ossa futura meis.

haec, pergit poeta, quae ego mortuus in te viva, tu viva in me mortuo eadem sentire possis: tum mihi nullius momenti et nequamquam gravis amara mors futura est (ut haec rectissime explicavit Lachmannus ad III 15, 2). nimirum hac demum condicione valere dicit quod in exordio carminis pronuntiaverat:

non ego nunc tristes vereor, mea Cynthia, manes,
 nec moror extremo debita fata rogo.

Brevius indicabo, in carmine IV (III) 19 versus de Scylla, quae catalogo heroinarum infelici amore celebrium ultimo loco adita est, non recte inter se coniecti (23 sq.):

hanc igitur dotem virgo desponderat hosti!
 Nise, tuas portas fraude reclusit Amor.
 at vos, innuptae, felicius urite taedas:
 pendet Cretaea tracta puella rate.

non tamen inmerito Minos sedet arbiter Orci:

victor erat quamvis, aequus in hoste fuit.

nimirum sceleri miserum eventum opponi patet hac ratione:

at (vos, innuptae, felicius urite taedas!)

pendet Cretaeta tracta puella rate.

quam crudelitatem non alienam fuisse ab iustitia regis, iudicis apud inferos futuri, ut qui non magis crudelem se in puellam quam aequum in patrem praestiterit. cf. et alia et V (IV) 3, 67

sed (tua sic domitis Parthae telluris alumnis

pura triumphantis hasta sequatur equos)

incorrupta mei conserva foedera lecti.¹

Non sine mutatione quantumvis exigua tradita verba recte interpungentur in Vertumni carmine V (IV) 2, 41

nam quid ego adiciam, de quo mihi maxima famast,

hortorum in manibus dona probata meis?

confer hoc distichon cum antecedentibus, et videbis in illis omnibus certum aliquod officium, certam figuram quam induere possit indicare Vertumnus. hic minime dicit quod debet, etiam hortulanum se esse. accedit quod nemo, quantum sciam, explicavit quid sit *dona probata*. intellexit in priore editione Lachmannus interrogationis signum ponendum esse post hexametrum. scimus enim ex v. 11—18² maximam famam Vertumno de hortorum cultu esse. at sic pendet pentameter: quare et Lachmannus in altera editione et Hauptius pristinam interpunctionem asciverunt. nempe scribendum est:

nam quid ego adiciam de quo mihi maxima famast?

hortorum in manibus dona probate meis.

probanto hortorum dona curam quam hortis impendit. sequitur autem:

¹ Cancellorum terminis aliquantulum contractis V (IV) 8, 4 sq. cum editorum veterum quibusdam sic interpungendum est: *qua penetrat virgo (tale iter omne cave), ieiuni serpentis honos cum pabula poscit* etc. *σέβας δράκοντος* non aliter Propertius dixit quam rhapsodus Hesiodius (scut. Herc. 144) *δράκοντος φόβος*. virginem non putamus aliam esse v. 6, aliam v. 11 memoratam. adfatur autem et per *cave* et v. 1 per *disce* personam quamlibet poeta, turba puellarum cuius verba colit. *tale iter omne* i. e. quocumque virginitas-executitur: qualem describit praeter ceteros Achilles Tatius VIII 6, 12 sq. rem enarrat Aelianus de nat. anim. XI, 16.

² V. 12 *Vertumni rursus credidit esse sacrum* pro *rursus* non recipienda est Italorum correctio *vulgus*, sed scribendum *Tuscus*. quam emendationem non meam sed N. Heinsii esse docuit me Burmanni adnotatio.

caeruleus cucumis tumidoque cucurbita ventre
me notat etc.

dona compellantur more poetis familiari¹. audacter demum Callimachus (hymn. in Del. 266): ὦ Μεγάλη² πολύβωμε πολύπτολι πολλὰ φέρονσα, πίονες ἤπειροί τε καὶ αἰ περιναίετє νῆσοι, αὐτὰρ ἐγὼ τοιγὰδε δυσήροτος. cf. Meineke Callim. p. 204.

Pergo ad carmen venustissimum quod est secundi libri primum, ut singularem exordii pulchritudinem vindicem a distichorum transpositione quam commendavit Lachmannus, probavit ipse Hertzbergius, recepit Hauptius, retinuit Vahlenus: non quod displiceret sententiarum ordo (atque optimus est), sed ut corruptelis

¹ Cf. 19. 20; III 30, 16 *hic locus est in quo, tibia docta, sones (sonet s) al.*

² Quod in Callimachi loco Μεγάλη scripsi, non μεγάλη, eo efficere volui ut et codicum corruptelis (ὦ μέγαλε scripturam ter quaterque importunam recepit Schneiderus, cf. I p. 318) et coniecturis (ὦ μέγαλ' ὦ, ὦ γαῖ' ὦ, γῆ μεγάλη, χθῶν μεγάλη) carere possemus. nempe Μεγάλη vocatur Tellus, quam a Delo insula compellari certum est, non alia ratione quam Eleusinae deae Πότνια (Soph. O. C. 1050 cf. Her. IX 97; Theocr. 15, 14 καὶ τὰν Πότνιαν), Eumenides Σεμναί non adiecto θεαί. atque Athenis quidem, quod Callimacho notum fuisse non miramur, apud Phliasios Tellurem, cuius nomen Μεγάλη θεός Pausanias tradit (I 31, 4), etiam Μεγάλην in sacris audivisse per Hippolytum (cf. Diels doxogr. p. 144 sq.) comperimus qui (refut. haer. V 20 p. 145 Miller p. 210 Gott.) τὰ τῆς Μεγάλης Φλιασίων ὄργια commemorat, secundum Plutarchi in Empedoclem libros ut videtur (πρὸς Ἐμπεδοκλέα Hippolytus, εἰς Ἐμπεδοκλέα recte index Venetus operum Plutarchi), et item p. 144 M. ἐν τῇ Φλιούντι λεγομένη μεγαληγορία, quod non cum Meinekio (vind. Strab. p. 242) τὰ λεγόμενα Μεγάλης ὄργια sed cum Welckero (doctr. deor. I p. 322 adn. 11) τῆς λεγομένης Μεγάλης ὄργια corrigendum est (sic p. 208 Gott.). idem de Ope Idaea in fastis Praenestinis (CIL I p. 316) ad mensis Aprilis diem quartum Verrius testatur: *Iudi m[agnae] d[aeae] m[atris] I[daeae] vel m[atris] d[eum] m[agnae] I[daeae]. Megalensia vocantur quod ea dea Migale appellatur.* quod ipso ludorum nomine, quod non Μητροῦα est sed Μεγαλήσια, comprobatur; item templi eiusdem deae apud Pergamenos nomine, quod Μεγαλήσιον, non Μητροῦον fuisse tradit Varro (de l. l. VI 15, ubi *Megalesion* templi nomen est, *prope murum* idem significat quod πρὸ πόλεως in titulo Trapezopolitano τῆς μεγάλης θεᾶς Κυβέλης CIG III 3953 d, cf. Add. p. 1106 et Boeckh. II p. 605). ergo apud Strabonem X p. 469 Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι καὶ ὀργιάζουσι ταύτῃ, Μητέρα καλοῦντες θεῶν καὶ Ἄγδοσι καὶ Φρυγίαν θεῶν [καὶ] Μεγάλην, ἀπὸ δὲ τῶν τόπων Ἰδαίαν καὶ Ἄνδρυμήνην καὶ Σιτυληνὴν καὶ Πισσιονουίδα καὶ Κυβέλην recte mihi videor inseruisse καὶ ante μεγάλην.

quibusdam haud gravibus remedio isto succurreretur¹. respondet poeta quaerentibus unde materiem sibi sumat tot carminum amatoriam (II 1, 3):

- non haec Calliope, non haec mihi cantat Apollo:
ingenium nobis ipsa puella facit.
5 sive illam Cois fulgentem incedere cogis,
hoc totum e Coa veste volumen erit:
seu vidi ad frontem sparsos errare capillos,
gaudet laudatis ire superba comis:
sive lyrae carmen digitis percussit eburnis,
10 miramur, facilis ut premat arte manus:
seu cum poscentes somnum declinat ocellos,
invenio causas mille poeta novas.

corruptam versus 5. scripturam codicum consensu traditam emendasse et sibi et aliis visus est Lachmannus pro *cogis* scribendo *coccis*. speciosa est coniectura, non vera. nempe verbum desideratur², non nomen. desistendum autem ab enucleandis litterarum fallaciis in vocula quam errori totam deberi veri simillimum est. nimirum *cogis* nihil esse dico quam corruptum *cois*, alteram vocem alteri corrigendae adscriptam, dein utramque, et corruptam et correctam, ut saepe factum est, verbo aliquo submoto versum insecidisse. *Coas* autem non adiecto *vestes* non Horatius tantum posuit (sat. I 2, 101), sed et Propertius V (IV) 2, 23: hic vel sine exemplis probum esset propter sequens *e Coa veste*. ergo cum Italo aliquo legendum erit: *incedere vidi?* hoc neutiquam probamus. scilicet non eadem est in hoc disticho temporum ratio quae in sequente. in illo poeta dicit: 'si puellae capillos adspexi,' non 'ex laude earum carmen contexam', sed *gaudet laudatis ire superba comis*: 'vix vidi iam laudavi, iam laudatis gaudet'. atqui in priore: 'si incedat Cois induta, totius huius voluminis materies Coa vestis erit'.

¹ Restituit Vahlenus loco suo, unde submoverat Scaliger, versus IV 7, 25—29. idem II 9, 11. 12 post v. 14 transposuit. factum probamus utrumque.

² Fieri non potest ut *vidi* (v. 7) ad v. 5 trahatur, quamvis et Tibullo et Propertio usitatum sit schema orationis quod ἀπὸ κοινοῦ vocamus (explicatur illo e. g. distichon multis obscurum I 1, 19. 20). non minor quidem audacia in versibus III (II) 17, 5 sq. ubi *licet* v. 7 etiam ad v. 5 pertinet, cf. V (IV) 1, 147. 148; sic Verg. ecl. 6, 74 sq. *ut narraverit* v. 78 ad *Scyllam* v. 74 trahendum est. sed II 1, 5 perfecto locum non esse mox demonstrabitur.

ergo v. 5 flagitatur verbum vel praesentis vel futuri temporis, i. e. aut *cerno cernam*, aut quod praeferimus:

sive illam video fulgentem incedere Cois,
hoc totum e Coa veste volumen erit.

Ad v. 11 verissima est Lachmanni adnotatio: 'qui latine scit coniunget *sive invenio*: at id vetat sensus. neque in superioribus est unde *seu* pendeat; nam *sive percussit* praecesserat.' sed minime consequitur *cum* ad illud *vidi* pertinere et transponendum esse distichon. nec nimis confidenter dixerim singula verba nullam corruptelae suspicionem praebere. mihi quidem qui oculos declinat non poscere somnum, sed ab somno posci videtur (ut dixit Licinius Calvus apud Priscianum I p. 479, 7 H. *cum gravis urgenti conivere pupula somno*, ut hoc optime emendavit N. Heinsius, cf. Prop. I 10, 7 *quamvis labentes premeret mihi somnus ocellos*), pugnare cum somno (cf. Sil. VII 204 *donec composuit luctantia lumina somnus*). neque dubium mihi est quin scripserit Propertius:

seu compescentes somnum declinat ocellos,
invenio causas mille poeta novas.

compescere translato sensu I 13, 11 *haec tibi vulgares istos compescet amores*, IV (III) 17, 3 *tu potes insanarum Veneris compescere fastus*. — De reliquo carmine nunc nihil dicam nisi omnia sana mihi videri, etiam Aegyptum cum Nilo in urbem invectam et Thesea atque Achillem amicorum fidem praedicantes. sed a v. 47 novam elegiam ordiri manifestum esse arbitror (statuit hoc Ballheimerus de Photi vitis x oratorum p. 40). in qua v. 71 pro *mea* cum Livineio Heinsio Marklando *me*, v. 73 pro *pars* cum codice Neapolitano *spes* reponendum est, quod miror non fecisse Vahlenum qui merito restituit Neapolitani scripturas e. g. I 4, 4; III (II) 18, 5. 6; 26, 49; 27, 15; 29, 11; V (IV) 10, 20.

Alio loco prae Groningani et reliquorum codicum corruptelam Neapolitano patrocinator. III (II) 34, 39 cum sic edidit Lachmannus

non magna Amphiaraeae prosunt tibi fata
quadrigae aut Capanei grata ruina Iovi,
magna ex coniectura post *non* inseruit, pentametrum invenustum ex Groningano ascivit, cum in Neapolitano haec potius legantur:

non amphiarerae prosint tibi fata quadrigae
aut Capanei magno grata ruina Iovi.

de pentametro dubitandi nulla causa est si quis Groningani sordes contemnit. hexametrum sic constituerat Muretus: *Amphiaracae nil prosunt fata quadrigae*, quod receperunt editores ante Lachmannum

praeter Scaligerum, qui improbabilia temptavit; Lachmannum secuti sunt Hauptius et Vahlenus, Hertzbergius nugae egit. Muellerus verba transponendo (*non tibi quadrigae prosint fata Amphiareae*) formam nominis non ab Ἀμφιάραος, sed ab Ἀμφίραος vel Ἀμφιάραος derivatam nec probabilem in poeta Romano (admonuit Muellerus Euphorionis frg. 69, cf. Suidas Ἀμφιάραον) et versum minime numerosum effecit. mihi in ipso nomine mendum latere videtur et scribendum

non Oroeae prosint tibi fata quadrigae
aut Capanei magno grata ruina Iovi¹.

Dici vix potest quotiens nomina propria in Properti libris corrupta legantur. exemplum unum alterumque addemus. solent autem in conclamatis eius generis loci esse. III (II) 28, 53

et quot Troia tulit vetus et quot Achaia formas
et Phoebi et Priami diruta regna senis.

sic codices. uncinis versus Lachmannus inclusit, cruces geminas adpinxit Hauptius. nec sane ferri possunt Priami regna post Troiam in enumeratione memorata nec ulla sunt Phoebi regna neque quicquam coniectando profectum est inde a Scaligero (qui pro *Troia* scripsit *Iona* metaplasmato inaudito, *Thebae* pro *Phoebi*) et Grutero (qui pro *Troia* scripsit *Eoa* quod nihil est: idem simillimus Gruteri ingenio Hertzbergius, in pentametro magis etiam absurda molitus). omnes scilicet utrumque versum attrahunt, cum de priore dubitandi causa nulla sit. certe respondent Troiae Priami regna, respondet Achaiae eadem ratione nomen quod in *phoebi* vel potius in *et phoebi* latet: indicavit hanc sententiae formam Lachmannus quem miror non ultra progressum esse. scribendum videtur:

¹ *Oropeus* ut *Oropius*. qualibus promiscue utuntur poetae Romani: sic Seneca in eadem Thyeste v. 22 *Pelopeus*, v. 641 *Pelopius*. cf. Benteius ad Hor. epod. 9, 16; Lobeck. Phryn. p. 367 sq. — Admonet Amphiarus Nucis elegiae Ovidio adscriptae, in qua vates Argivus ut Thebanus memoratur v. 109:

praeda malo, Polydore, fuit tibi; praeda nefandae
coniugis Aonium misit in arma virum.

atque *Aonium* Wilamowitzius (commentat. Mommsen. p. 400) et corruptum esse comprobavit nec valuit excusare. scribendum *Aonidium* (Stat. Theb. II 697 *quisquis es Aonidium* X 195 *Aonidium legio*). Thebanorum in arma coniugem Eriphyle misit. emendatum adscribam aliud eiusdem carminis distichon (175):

saepe meas vento frondes tremuisse putastis,
sed non [aura], metus causa tremoris erat.
aura omittit codex Marcianus. reliquorum οὐδεις λόγος.

et quot Troia tulit vetus et quot Achaia formas,

Atridae et Priami diruta regna senis.

nec nimis hoc distat ab traditis litterarum vestigiis et in nomine primum corrupto, deinde in speciem cuiuscumque nominis deflexo non nimis in litterarum vestigiis haerendum est. idem de loco dictum volo quem perstringam tantum, III (II) 13, 47

cui si tam longae minuisset fata senectae

Gallicus Iliacis miles in aggeribus,

non ille Antilochi vidisset corpus humari etc.

hexametrum Santenius et Lachmannus correxerunt nec redibimus cum Vahleno ad codicum scripturam *quis tam longaevae*. pro *Gallicus* coniecerunt *Ilius Troicus Dardanus Graicus Doricus bellicus callidus classicus saucius* alia aequae inutilia. latere videtur aliquid magis reconditum quod fuisse opinor *Delius*. scilicet Iliad. O, 355 sq. una in pugna ad aggerem adsunt et praecipui nominantur Phoebus Nestorque. *miles* appositionis vicem tenet. sic Phoebum alio carmine expulsum huic reddidimus¹.

Persequor periculosum opus evertendi signa sepulcralia. quali carminis dulcissimi III (II) 29 finem deformari inprimis aegre ferimus (41):

sic ego tam sancti custode recludor amoris.

ex illo felix nox mihi nulla fuit.

merito Lachmannus spreuit Broukhusii inventum *custos excludor*. nam nec *custos amoris* est *speculator amoris* (v. 31) neque excluditur poeta sed dimittitur. nihil in coniecturis auxilii (*custos recludor*, *reiector* Itali, *custos secludor* vel *eiector* Passeratius, *eludor* Burmannus); nec satis aptum quod Lachmannus proposuit *cultu secludor*: nam amorem colere vel excluso liberum. ergo crucem ad-

¹ Nec graecum nec latinum est I 1, 24 *Cytaines* vel *Cytainis*. nec a *Κύτα Κύτα Κύτα Κύταιον Cytainus* nec a *Κυταεύς Κυταεύς Cytaine* recte derivatur (de nominibus in *-ωνη* et similibus vide Herod. I p. 333 sq. L., Naekium opusc. II 16). nec sane genitivum *Cytainis* quisquam a *Cytais* deducet secundum Priscianum I p. 317 H. graecum est et *Κυταεύς Κυταεύς Κυρηής* et *Κυταεύς Κυταεύς* (de *α* et *αι* cf. Schneider Callim. I p. 239) *Κυρηιάς*. codices fere *cythalinis*. verum mihi videtur *Cytheiadis* vel potius *Cytaeiadis*. nomen urbis inde ab Alexandrinis demum poetis celebratum: Medeam *Κυταείδα* vocavit Apollonius (II 399. 1267. IV, 511), *Cytaeida* Propertius II 4, 7, *Κυταείδα* vel *Κυρηιάδα* Orpheus personatus (Arg. 909. 1009) et fortasse Euphorio (frg. 10). cf. Ruhnkenius et Hermannus ad Orph. Arg. p. 187 Meinekius An. Al. p. 46 Lobeckius parall. p. 25.

pinxit Hauptius. mihi verbum quod unum aptum est in *custode* latere videtur, nomen quod culpam indicet in *recludor* vel potius, ut in Neapolitano legitur, *recludor*:

sic ego tam sancti discedo elusor amoris;

ex illo felix nox mihi nulla fuit.

orationis conformatio usitata Propertio: v. 31 v. s., III (II) 13, 9 *non ego sum formae tantum mirator honestae*, IV (III) 1, 33 *ille tui casus memorator Homerus*, cf. Ovid. am. I 3, 15 *non sum desultor amoris. nec desultor nec inrisor* (Prop. I 9, 1) sensui litterisve satis convenit et qui sit *lusor amorum* Ovidius dixit trist. IV 10, 1. itaque nomen posui quod nunc nusquam legi videtur, sed certe usurpari potuit a Propertio. ad sensum hoc paullo aptius quam *discedo spreter amoris*, quo ducere possit codicum aliquorum scriptura *custodis rector*. cf. Ov. met. VIII 603. Grat. cyneg. 79.

Alia in hoc carmine corrupta sunt. v. 5 tolerari non potest *retinere*:

129,5 atque alii faculas, alii retinere sagittas,
pars etiam visa est vincla parare mihi.

nec *retinere* recte pro *tenere* vel *tenuere* (quod proposuerunt Broukhusius et Heinsius) neque concinne dictum est alios armatos fuisse, alios poetae vincla parasse: concinnum quod Burmannus coniecit *intentare*. atque scribendum videtur *intendere*. — v. 14 cum Douza patre pro *fores* reponendum *foris*. — v. 21 sic fere in codicibus traditur:

atque ita me iniecto¹ duxerunt rursus amictu,
sic in editionibus post Broukhusium:

atque ita mi iniecto dixerunt rursus amictu
at nihil de poeta vestibus spoliato narratum. vinctum iri autumamus v. 6, per vim retineri audimus v. 10 *et in collo iam mihi nodus erat*. itaque v. 21 liberatur potius indumento qualicumque quo iniecto occaecatus a pueris retinebatur:

atque ita me iniecto laxarunt rursus amictu.
dixerunt non magis additur quam *dixit* v. 11.

In eiusdem libri carmine 32 hoc distichon legitur v. 23:

129,2 nuper enim de te nostras me laedit ad aures
rumor et in tota non bonus urbe fuit.

quod corruptum esse sensit iam qui Groninganum codicem interpolavit; scripsit enim *nostras pervenit ad aures*. neque hoc nec *prae-*

¹ *inlecto* Neapolitanus. cf. I 13, 16 *inictis*] *inlectis* N; 18, 16 *deictis*] *delectis* N; II 9, 2 *iecto*] *electo* N.

cedit nec pervadit Huschkii Heinsiique coniecturae ita cuiquam placere ut corruptae voci substituerentur, de qua sananda Hauptius desperavit. mihi (nam verbis amplius non opus) et elegans videtur et Propertianum: *nostras malus ivit ad aures rumor et in tota non bonus urbe fuit.*

In Tarpeiae carmine multum corrupto conclamatus legitur versus V (IV) 4, 55

sic hospes pariamne tua regina sub aula,
dos tibi non humilis prodita Roma venit.
si minus, at raptae ne sint inpune Sabinae:
me rape et alterna lege repende vices.

nihil coniectando profectum est ante Vahlenum, qui cum scripsit *si posces pariamne*, verbum restituit cui optime opponitur *me rape*. sed ne veram habeam Vahleni emendationem prohibet alterum verbum *pariam*, cuius notio nescio an ab hoc voto aliena sit (quod sensit post alios Hertzbergius quamvis inepta coniecerit) nec satis verecunda in ore puellae primo amore tactae. Propertius optantem fecisse videtur Tarpeiam non ut pariat coniugis locum in Minois regia obtinens, sed ut obtineat locum, scripsisse igitur:

IV 4, 55 si comes accipiarve tua regina sub aula,
dos tibi non humilis prodita Roma venit.

verbis non recte divisus orta est corruptela. cf. v. 82 *pacta ligat, pactis ipsa futura comes*. Scylla Ovidii VIII 48 *me comitem, me pacis pignus haberet*.

Finem faciam in carmine quo valedicens Cynthiae minime valedicit Propertius, II 5, 17:

at tu per dominae Iunonis dulcia iura
parce tuis animis, vita, nocere tibi.

tuis animis neque emendavit Marklandus scribendo *tuis armis* neque explicavit Burmannus: non iracundam poeta deseret puellam (v. 7 *duri mores in transcurso perstringuntur*) sed perfidam et periuram. hoc sensu dixit v. 14 *dum licet, iniusto subtrahere colla iugo*. quo versu indicatur quid v. 18 Propertius scripserit, scilicet:

parce iniusta nimis, vita, nocere tibi.

eiusdem carminis v. 27

scribam igitur, quod non umquam tua deleat aetas,
'Cynthia forma potens, Cynthia verba levis'

nescio qua ratione explicetur *tua aetas*. nempe absonum est Cynthiae aetatem nuncupari, non ipsam temporis diuturnitatem quae versiculi famam delere nequeat. quod sensit Heinsius cum improbabili coniecit *quod nulla umquam deleverit aetas*, reponendum autem *tibi pro tua*.

Haec scripseram, cum emissa est nova Baehrensii editio. quam dum perlego, primum quidem vidi eorum quae supra disputavi nihil occupatum esse. deinde intererat scire numquid Baehrensii novi codices locos a me tractatos et omnino horum carminum lectionem nova luce inlustrarent, et sane Baehrensii multa in recensione sua (de emendatione Baehrensii non loquor) novavit et novanda essent multa, si rectum ille de codicibus quos recensionem adhibuit iudicium tulisset. sed plane falsus est. nunc quoque unicus Properti codex non interpolatus codex Neapolitanus est, cuius omnino minus quam reliquorum depravata est lectio; interpolati sunt omnes quos illi praetulit editor novissimus. haec ego non rumore malo, non augure doctus. atque quoniam gravis est quaestio turbasque inutiles motura nisi ocius solvatur, brevi sed plena argumentatione quid rei sit demonstrabo.

Vsus est Baehrensii quattuor potissimum libris qui in duas familias discedunt: ad alteram pertinent Vossianus (*A*) s. XIV, qui desinit in II 1, 63 (utor Baehrensii numeris), et Laurentianus (*F*) s. XV ineuntis; ad alteram Vaticanus (*V*) s. XIV exeuntis et Daventriensis (*D*) s. XV. et *AF* et *DV* inter se gemelli sunt. correctores passi sunt et *F* et *V*, quorum inventis cum genuina lectione permixtis natos esse codices interpolatos editor contendit. agmen eorum ducere codicem cum *AF* cognatum Neapolitanum (*N*), qui olim Neapoli ab Heinsio conlatus nunc inter Gudianos Guelferbyti extat. adscripsit hunc librum Lachmannus in editione priore (p. X) saeculo XIV, in altera XIII, Keilius (obs. crit. p. 3) XIII vel XII, Muellerus (praef. p. X) XIV vel potius XV, Baehrensii (p. VIII) XV. non plane mihi haec lis dirempta videtur. facile credimus Muellero non scriptum esse codicem ante renatum in Italia antiquarum litterarum studium. sed quartone an quinto decimo saeculo scriptus sit ne nunc quidem constare videtur.

Atque primum quidem quid de *A* et *F* inter se consentientibus (nam proprias singulorum librorum corruptelas non moramur) iudicandum sit videamus. interpolationes in *AF* sine controversia extant his locis: I 1, 1. 22¹; 6, 25; 7, 7; 8, 1. 38; 12, 10; 13, 5. 7; 20, 1. 13; II 1, 60. 63². in hoc versu desinit *A*. atque

¹ I 2, 29 *dictis* cum *DV* Baehrensii, *verbis AFN*: sed *dictis* potius interpolatum est.

² Eodem refero I 1, 13 et 8, 45 quibus locis reconditi aliquid in *AF* latere putat Baehrensii.

sequentia valde quidem in *F* interpolata sunt (cf. e. g. II 6, 21; 16, 15. 22; 22, 7. 50; III 16, 2; 18, 28; IV, 10, 37); sed haec adferre nihil attinet, quoniam diiudicari nequit quid archetypo quid ipsi *F* tribuendum sit¹. locorum quos attuli nullo cum *AF* consentit *N*. nec magis in corruptelis multis sine interpolationis suspicione *AF* deformantibus, ut I 2, 23; 6, 15. 16; 14, 4; 16, 23. 27. 47; 17, 19; 18, 7; 22, 10; II 1, 41. consentit in aliis ut I 8, 7. 27; 11, 15; 13, 13. 16. 21; 16, 18; 19, 10. 17; II 1, 22; 15, 8; 16, 12; 34, 37. 41 et cum *F* saepe in sequentibus. ergo ad eandem familiam *AF* et *N* pertinere verum est; sed uter interpolatione inquinatus, uter minus corruptelis a pristina integritate deflexus sit quaeritur.

Accedimus ad *DV*. pariter interpolati sunt his locis: I 3, 43 (cf. 8, 22); 4, 16; 8, 25; 13, 6; II 1, 5. 31; 2, 11; 3, 24 (*canidus* testantur Macrobiani excerpta Parisina, *ardidus FN aridus DV*); 5, 8; 6, 2²; 12, 19; 14, 5; 17, 1; 19, 1. 26; 29, 10; 30, 16; 31, 10; 34, 59; III 3, 11; 16, 29; 18, 20; IV, 1, 68. 125; 5, 34; 11, 102. accedunt loci haud pauci quibus Baehrensianus patrocinatus quidem est horum codicum lectioni³, sed iniuria ut credo: II 2, 29; 8, 15; 17, 26; 18, 20; 19, 10; II 8, 4. 37; 9, 17; 12, 12; 24, 46. locis quos adscripsi omnibus interpolatione immunis est *N*.

Iam eadem ratione Neapolitani fidem excutiamus. atque in ea quidem parte quae in *AF* servata est nullus omnino locus vel minimam interpolationis suspicionem praebet (nam I 7, 11 quod pro *placuisse* primum scripserat *docuisse* prima manus ipsa correxit: illud autem propter antecedens *doctae* excidit librario cf. III 5, 28). in sequentibus quoque hic illic quidem vox corrupta in qualemcumque speciem abiit, sed nusquam ita ut certus quidam a

¹ Parva quaedam *F* solus correctae praebet: I 12, 19 (*desistere*) *dissistere AN, discedere DV* vulg.; II 22, 30 *num* pro *non*, cf. IV 11, 13; III 3, 11, *lares*] *lacies N, alacres DV*; 21, 11 *aequora*] *aequore DVN*; IV 9, 45 *aliquam*] *aliquem DVN*; 52 *vineta*] *iuncta DVN*: quae partim librario cuius tribui possunt partim cum aliis Propertii codicibus conspirant. non accedimus Baehrensio codicis *F* scripturas recipienti II 10, 11; 11, 1; 15, 26; 31, 7; III 11, 35.

² II 9, 43 correctura in archetypo facta proditur ut 10, 14; 19, 4; 21, 6; 27, 14; III 6, 5; 15, 35.

³ Verum solus servavit *D* his locis: II 4, 7 *melampus*] *inlampus, nylampusi* 13, 12 *puris*] *pueris*; III 16, 25 *ne*] *nec*; IV 5, 36 *maisi*] *malis*. idem de his locis quod de *F* dicendum est.

librario doctove homine sensus consulto inlatus esse videatur. metri causa tantum II 15, 49 *lucet pro licet* et 18, 29 *deme mihi pro deme mi* scriptum est. reliqua aut sensum nullum praebent aut corruptelae merae sunt (II 28, 9; 32, 26. 30. 47 cf. IV 1, 30; III 2, 4; 3, 6; 5, 42 *num* quater in *non* mutatum, cuius corruptelae innumera sunt exempla; 13, 33; 14, 33; 16, 9; 19, 12; 21, 3; 23, 20; IV, 1, 79; 4, 74; 6, 41; 8, 85; 10, 1; 11, 94)¹, ne unus quidem locus tam manifesto interpolatus quam e. g. primus primi carminis versus in *AF*, ultimus ultimi in *DV*.

Sed interpolatum codicem Baehrensium dicit. scilicet correctores codicum *F* et *V*, quos plerumque cum *N* consentire vidit, interpolatores esse et ex codice ita inquinato *N* fluxisse credit. paullo propius ad interpolatores istos accedamus. nempe ubicumque $F^2 V^2$ cum *N* consentiunt, veram illi scripturam et plerumque quidem vulgatam praebent, $AF^1 DV^1$ corruptam vel interpolatam. plurimis in locis idem est Baehrensii iudicium. atque cum $F^2 V^2$ contra Baehrensii codices *N* verum servavit I 6, 6; 7, 20; 12, 9; 13, 11; 14, 22; 22, 7; II 8, 4. 37; 13, 13. 47; 16, 44; 18, 22; 25, 16. 39. 43; 28, 21 (*monstrata* in $F^1 DV^1$ ex *monstris* eiusdem versus natum); 29, 1; 33, 19; 34, 1. 25 (cf. II 8, 37); III 3, 32; 6, 41; 7, 23. 52. 68; 8, 18; 9, 2; 10, 15. 19. 23; 11, 15. 25; 12, 4; 13, 51. 58; 14, 17; 16, 11. 30; 20, 17 (*confringit F¹ DV¹, constringit NF² V², constringet recte Beroaldus*); 22, 13; 24, 38; IV 1, 8. 141; 2, 2. 19. 44. 62. 64; 3, 59; 4, 9. 10. 42. 83; 5, 5; 6, 45. 63; 7, 20. 41. 84. 93; 8, 34; 10, 17. 37. quaecumque his locis mutavit Baehrensium, invito Propertio mutavit. enotavi omnia, ut lectores facili negotio excutere singula et diiudicare possent: quod si ipse facerem, longus fierem et molestus. graviora tantum omisi quaedam quae infra perstringam. idem de sequentibus dictum volo. scilicet multa restant quae vel cum F^2 vel cum V^2 non accedente altero Neapolitanus communia habeat. deinceps igitur enumerabo locos quibus *N* cum solo V^2 contra $AFDV^1$ verum praebet: I 9, 31; 18, 19; 20, 4; II 3, 26; 15, 27; 26, 15. 44; 28, 47; 29, 36 (*nec*); 30, 18 (*tumor*); 32, 52; 33, 42; 34, 12. 42. 43. 72; III 4, 22 (*sacra V²?*); 5, 31. 41; 7, 66; 10, 3. 31; 13, 3. 23. 43. 47; 13, 53 (praeter *aurigero*). 54; 14, 30; 15, 1. 15. 34 (v. i.); 16, 4; 17, 21; 18, 20; 20, 11. 19; 24, 6 (*esse*). 28; IV 1, 6, 28. 41. 73 (*aversus*). 104. 133. 135. 142. 144; 2, 28. 49; 3, 5. 16.

¹ Eodem refero II 32, 22 ubi *N* corrupto *meretur* (quod recepit Baehrensium), reliqui recte *mereris*.

67; 4, 23. 30. 57 (*ne*). 66; 5, 24. 34 (*similes* $V^2?$). 52. 57; 6, 2. 50. 79; 7, 15. 63. 81; 8, 11. 21. 48; 9, 5. 27; 10, 5. 34. 46; 11, 102¹. codicis F corrector multo plura in posteriore potissimum parte intacta reliquit. cum N in v̄ra lectione solus consentit II 24, 10; 25, 45; 34, 47; III 1, 5; 11, 14; 13, 26. 56; 14, 19 (*nudis capere arma* [*armis* F^2] *papillis* NF^2 : *nudis* [*est* add. F] *armata capillis* F^1DV , cf. IV 3, 43); 24, 6 (*esses*). 29. 33; IV 1, 15. 68; 3, 53; 5, 38. pauca quae me omisisse dixi deinceps considera. I 8,22 *vita* NF^2V^2 (cf. Baehrens. p. 198) *tuta* rell.; melius coniecturis a Baehrensio adlatis mihi videtur quod Schneidewinus coniecit *sueta* (cf. Hertzberg. IV p. VI). — II 24, 46 *servato* NF^2V^2 , *om.* F^1 , *ab infido* DV^1 quod cum recepit editor, *modo* non habet quo referatur. — III 7, 46 *ubi* NF^2V^2 , *nisi* F^1DV : *pauper*, *at in terra* cum *viveret* coniungi debet. verum mihi videtur quod et ipse inveni et ab Sandstroemio occupatum video: *nil ubi*, *Core*, *potes*. — 20, 4 *tantisne in lacrimis* N et ex correctura V , *ne om.* FD (V^1), *tantine ut lacrimae* Heinsius recte. — IV 4, 55 *pariamne* N et fere V^2 , *patrianne* F , *patiare* DV . locum supra tractavi. — 7, 61 *qua quaerar ut unda* NV^2 , *qua quaerat ut unda* DV^1 , *quae quaerat unda* F . rursus verae scripturae quam restituit Turnebus (*quaque aera rotunda*) tantum NV^2 vestigium servarunt plane extra interpolationis suspicionem positum. haec separatim tractavi, ne quis obiceret posuisse me quod probandum fuisset, emendatas illas scripturas ab ipso poeta, non ab emendatore profectas esse. probare putidum est quod ipsa res clamat cuius audire volenti. sed Baehrensus in Neapolitanum, ex V^2 scripturas istas fluxisse contendit. hoc si verum esset, N non tantum Vaticano, sed correctore eius, sed codice recentior esset descripto ex Vaticano iam correcto. hoc antequam credatur, de Neapolitani aetate necesse est certum aliquid edoceamur et item de Vaticani correctorisque vel correctorum eius. interim in iudicium vocabimus locos quales sunt III 18, 23

exoranda canis tria sunt latrantia colla,

scandenda est torti publica cymba senis

ubi *torti* DF , *tor*** V^1 , *torvi* F^2V^2 et *troci* N praebet. hic sane *torvi* interpolatum est; sed quis inde deducat *troci*? hoc scilicet corruptum ex pristino *scandenda atrocis*. — IV 3, 55 *graucidos* in DF legitur, unde *craucidos* V^2 effecit; N praebet *graucidos*

¹ III 16, 12 *scilicet* NV^2 male pro *sic licet*, item IV 5, 58 *aere* pro *arte*. cf. IV, 2, 44 *vinco* NF^2 pro *iunco*.

non recte sed recto, quod est *Glaucidos*, proximum. — 8, 39 *colistria F*¹, *coralistria DVF*², *coristria V*²: Turnebus restituit *crotalistria*, quod si maiusculis litteris scriptum cogites, paene servatum esse cognosces in *N* scriptura *eboralistria*. — 10, 41 pro *Viridomari F dutomani*, *DV uncomani*, *V*² *vir romani*, *N virtomane* in *virtomani* correctum praebet. utra his locis lectio ad pristinam propius accedit? utra ex utra derivata est?

Nimirum nihil certius est quam Vaticanum et Laurentianum libros foede depravatos ex codice aliquo vulgaris notae non pessimo correctos esse. certe non ex ipso Neapolitano. satis hoc probat IV 11, 17—76 locus in *N* omissus (cf. III 10, 17. 18). permulta autem ab *N* aliena a correctoribus in *V* et *F* interpolata, alia recte emendata sunt¹.

Iam ea consideremus quae novorum codicum nec prima nec secunda manu calculum addente *N* solus correctae praebet. atque incipiamus quidem a minutis quibusdam: I 20, 4 *duxerit (duxerat)* II 7, 3 *ni (quis)*; 9, 21 *duxistis (duxisti)*. 26 *poterentur (petarentur DV, potarentur F)*; 12, 8 *ullis (nullis)*; 15, 51 *ac (at)*; 19, 20 *monere (movere)*; 28, 33 *poterit (poterat)*; 34, 4 *formosam (et formam. non intellego quo consilio Baehrensium conferat II 3, 32 et 5, 28)*; III 5, 34 *atratis (attractis)*. 46 *haut (aut)*; 8, 28 *irata (iratum)*; 9, 9 *effingere (fingere)*; 12, 32 *natasse (notasse)*; 15, 3 *praetexti (praetexta)*; 16, 17 *avertit (advertit, avertat)*; 22, 27 *labuntur (lambuntur)*; 23, 11 *fuertint (fuertant)*; IV 1, 149 *deducat (deducat)*; 2, 22 *quamcumque (quaec., quac.)*. 26 *secta (facta)*. 29 *at (ac)*; 5, 25 *quae (quam)*. 35 *tundat (tondat)*; 7, 83 *hic (hoc)*; 8, 72 *cum (cur, cui)*; 9, 2 *erithea (eritrea sim.)*; 11, 81 *sint (sunt)*. haec partim in aliis quoque libris emendate leguntur, partim eius generis sunt, ut nemo cogi possit ne, licet vera sint, coniecturae deberi contendat. neque vero in ancipiti posita est Neapolitani causa, etiamsi quaecumque adhuc ex *N* vel *NF*² *V*² protulimus interpolatoris esse largiamur. vincent argumenta multo graviora nec sane a viris doctis post Lachmannum neglecta, ab uno Baehrensio miris modis despectui habita.

Notum est et post Hauptii disputationem (opusc. II 52 sq.) saepe repetitum, in eo potissimum spectatam esse Neapolitani fidem, quod additamentis quibusdam noviciis solus ita caret ut mutilos potius quam interpolatos versus praebet. iam II 34, 53

¹ Cf. II 26, 39; 31, 3; 34, 72; III 1, 22; 2, 13; 3, 30 alia haud pauca.

restaverit undas vel restabit erumpnas, III 1, 27 *Iovis cunabula parvi*, 5, 39 *tormenta gigantum* in novis libris, lacunae in solo *N* relictæ inveniuntur. perinde alia et interpolationem redarguunt et praestantiam codicis evincunt. II 23, 21

et quas Euphrates et quas mihi misit Orontes
me capiant

pro *capiant* in *N* legitur *iuverint*; 'interpolate' si Baehrensium audimus; an ex coma Berenices? certe verum est, quod intellexit Hertzbergius, ex *iuverint* illud corruptum, *capiant* metri causa interpolatum esse. — 25, 42 pro *ducit uterque color* Baehrensii codices cum aliis habent *dulcis uterque color*. belle hoc quadrat ad v. 40 *cruciat lumina vestra dolor*, belle ad v. 44 *utraque forma rapit*. — 29, 41 supra tractavi. *custode recludor*, quod nullum sensum praebet, qualicumque ratione inmutatum est: *custos recludor DV*, *custodis rector F*.¹ — III 5, 6 pro *acra*, quod restituerunt Itali, in *Naere* legitur, sed *ire* in *FDV*. — ib. v. 24 item *sparserit et nigras* vetus correctio est. tu vero ubi pristinam scripturam fidelius servatam credis, in *DV* qui *sparserit integras*, an in *F* qui *sparsit et integras*, an in *N* qui praebet *sparserit et integras*? — 6, 3 non *N*, dum *rell.*, num Itali recte. num nunc non sescenties commutantur. — 8, 19 *iniuria* codd., sed *iniurgia N*. nunc Vahlenus evidenter emendavit *non est certa fides, quam non in iurgia veritas*. — IV 1, 106 *umbrane quae N*, *umbraque ne rell.*, *umbrave quae Propertius*, ut vidit Turnebus. — 3, 51 tantum de geniali lecto Arethusa loqui potest. *tibi* pro corrupto *te (N)* interpolatum; legendum fortasse:

nam mihi quo Poenis tua purpura fulgeat ostris
crystallusque meas ornet aquosa manus?

cf. Tib. 2, 75. *tua* i. e. quam tenere solebas. in pentametro *meas N*, *tuas rell.*²

Accedit quod in Neapolitani titulo et subscriptione Propertius

¹ II 32, 7 *Cynthia*, sed *tibi me credere turba vetat* corruptum est *sed*, cui cum Groningano Lachmannus et sequentes *nam* substituerunt. at pro *tibi me (DV)* in *F timeo* scriptum est, in *N* unde utraque scriptura derivata est *time*. scribendum fortasse *sacra time: credere turba vetat* etc.

² Orthographia codicis, quae in multis superior est illius aevi consuetudine et scientia, certe non interpolatori debetur. et alia et *nequiquam, conexus, ecquando, tropaea, bucina, Parrhasius, Tanain, Ulixen* solus praebet. monstra vocabulorum ut *soboles, iocundus, solatia, oportunus* alia eius generis librarium non vilasse consentaneum est.

et Aurelio nomine et cognomine Nauta caret. accedit denique locus gravissimus II 33, 37

cum tua praependent demissa in pocula sarta
 pro *demissa-sarta* unus *N* praebet *demissae-sertae*. idem testatur Charisius p., 107: *Propertius feminine extulit sic: tua praependent demissae in pocula sertae*. quid Bæhrensensius? '*N* ex Charisio interpolatus'. Θεῶν θέλονται κἄν ἐπὶ ὑπὸς πλέους.

Iam confidentius ea quoque quae in gregario codice suspecta esse possint ut genuinas scripturas vel magis ceteris genuinas vindicabimus. sic II 18, 5 non dubitamus cum Vahleno recipere *quid mea si canis aetas candesceret (canesceret N, correxit Heinsius) annis* (cf. Tib. I 10, 43) prae reliquorum scriptura *quid si iam canis aetas mea caneret (curreret Bentleius) annis*. — II 30, 19 magis mihi interpolationis suspectum est *nunc tu dura paras* (scilicet se ipse in hoc carmine adloquitur poeta) quam *non tamen immerito* quod nihil significat nec video quo consilio ex III 19, 27 huc transferri potuerit (Muellerus praef. p. VII). facile quidem est corrigere *nunc tamen ingredior Phrygias nunc ire per undas?* (cf. III 1, 3); sed duo disticha 19—22 ad hoc carmen pertinere non possunt, quippe v. 21 tantum de bello civili intellegi potest et ab amantis fuga (v. 1 sq.) alienus est. optime autem v. 23 ad v. 18 applicatur. haec igitur intacta relinquo ut iniuria in locum istum nescio unde sed ex Properti carmine delata. — 32, 33 *fertur* pro *quamvis* interpolatum esse non tam certum mihi est quam fuit Hauptio opusc. II p. 60; plane certum 34, 40 genuinum esse epitheton ab *N* servatum *magno* (v. s.). fortasse aliquid latet III 1, 23 et 5, 35, ubi conicio: *cur serus versare Bootes flammea plostra?* (versus similes II 33, 9; IV 7, 41). — 6, 41 *nisi et (N: mihi si* rell.) *ex mi si* e corruptum esse Lachmannus vidit. idem III 15, 31 correxit Neapolitani scripturam et sequentia recte distinxit. tantum v. 33 retinendum *sic*. denique IV 3, 11 (*haec sunt pactae mihi noctes DV, et pacate mihi noctes F, et parce avia noctes N*) nihil remitto de pulcherrima Hauptii emendatione *haecne marita fides et pactae in savia noctes?*

Demonstravimus, quod demonstrandum erat, codicem Neapolitanum et unum non interpolatum et librum esse multo reliquis lectionis integritate superiorem. illo igitur in posterum quoque, et unico quidem illo donec similis inventus sit, Properti carminum recensio nitetur. librarii errores arguere valebit e melioribus vulgaris notae libris quicumque eligeretur. verum *AFDV* omnino nihil valent.